

- extimariam per eos extimatam, scita extra civitatem Tergesti, ultra duos gross. comuniter inter ipsos ab illo qui extimari fecerit, et si talis possessio fuerit in civitate Tergesti, unum grossum tantum comuniter inter ipsos. ¶ Et pro extimatione dampni¹⁾ dati in quolibet laborerio tres sold. inter omnes tres et non ultra, et ire pro eodem precio ad extimandum dampnum quando fuerint requisiti ab aliqua persona, sub pena predicta pro quolibet eorum et vice qualibet contrafacta. ¶ Et non recipere aliquam solutionem ab aliqua persona de extimatione aliqua fienda per eos tam de dampnis datis quam de possessionibus designatis ad extimariam, nisi primo per ipsos facta extimatione et perticatione talium possessionum et scriptis ut dictum est, ac etiam primo extimatis dictis dampnis datis ac aliis bonis non designatis ad extimariam, et ipsas extimationes secretas habere et tenere et non propalare nisi coram dominio, si fuerint requisiti. ¶ Et non pepigere cum aliqua persona de aliqua extimatione per eos fienda modo aliquo, et si pepigerint, de tali pacto nulla fiat ratio per dominium Tergesti, aliquo statuto sive ordina- // mento civitatis Tergesti non obstante. 37 A
- ¶ Item cum fuerint requisiti ire ad extimandum de supradictis, non recusare predicta omnia et singula observare, etiam sub pena decem libr. par. pro quolibet extimatore et notario et vice qualibet contrafacta. ¶ Et si recusarent, nichilominus per dominium Tergesti constringantur ad fatiendum predicta. ¶ Item de bonis eis designatis ad extimariam ad vendendum per debitorem voluntarie vel constrictae, vel per creditores secundum sententias vel intromissiones datas, que extimaverint et perticaverint ac determinaverint, tantam quantitatem extimare quod integra fiat solutio creditori tam de capitali quam de expensis, et de predictis bonis sic extimatis si fuerint extrinseca recipere et habere pro eorum solutione et labore sold. quatuor. par. pro prima marcha, et ab inde superius pro qualibet marcha duos sold. par. tantum, et si marcha non fuerit completa pro rata recipere tantum. ¶ Si vero bona per eos extimata fuerint in civitate Tergesti recipere et habere duos sold.

¹⁾ Aggiunta marginale.